



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 140. Quid circa titulu[m] damni emergentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

conveniendo de certo pretio juxta aestimatio-
nem spei de lucro faciendo, vel conveniendo de
pretio indeterminato, quantum deductis dedu-
cendis mutuanti decedet de suo lucro, *Mol. Less.*
Pirh. n. 41. Nec obstat, quod per Bullam *Pii V.* non
videatur licitum taxare certum premium pro lu-
cro incerto, nam *Nav.* dicit tantum intelligi de
cambiis, & Bullam illam non esse receptam ex-
tra ditionem Pontificis; *Valent.* autem & *Lugo*
dicunt eam fundari in presumptione usuræ, hinc
si quis certus sit de lucro alioqui futuro, etiam
indeterminato, posse pro valore hujus certitu-
dinis vel probabilitatis pacisci; debet tamen si-
mul attendi ad periculum amittendæ fortis, si
negotiationi exposuisset. Vide *Roder.* l. 3. q. 5. 2
n. 20.

Q. 140. Quid circa titulum damni emergentis. *R. 863*
Seqq. §. 1. Titulus hic est justus, v. g. si mutuans
prævideat damnum decem aureorum sibi ori-
turum ex mutuo, potest pro 100. mutuatis re-
petere 110., quia æquum non est, ut quis ex be-
neficio mutui damnum reportet; neque hoc est
vendere usum pecuniae, sed damnum vitare, in-
quit *S. Th.* 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1.

§. 2. Quamvis *Less. Lug. Pirh.* n. 34. *Tambur.* 864
§. 3. n. 3. *Rosm.* de usura n. 8. dicant non esse ne-
cessere, ut mutuatarius admoneatur de hoc da-
mno alias fecuturo mutuanti, tamen probabili-
us est oppositum, nam admonitus posset alibi
quærere mutuum sine hoc onere extraordinario,
de quo si non resciat, non consentit liberè in il-
lud; & idem est de circumstantiis periculi vel lu-
cri cessantis, si mutuatario sint incognitæ, & pro-
pter illas plus exigatur.

§ 65 §. 3. Mutuatarius non tenetur de damno causato ante tempus solutioni præfixum, nisi sit deductum in pactum, imputet enim sibi mutuam, quod de eo non caverit, *Mol.*, si tamen mutuans cogeretur ad mutuandum, posset exigere interesse damni emergentis, etiam si in contratu mutui de eo nihil foret conventum, *Lug. Pirh.* suprà.

§ 66 §. 4. Si mutuatarius, vel cum culpa vel etiam sine culpa, ubi talis est consuetudo, fuerit in mora solvendi tempore præfixo, & mutuans inde passus sit damnum, mutuatarius tenetur compensare, licet expreſſè de eo conventum non sit quod etiam aliqui tenent, licet mutuatarius debitum non exigat, quia ipsa dies interpellat pro homine, *Leſſ. I. 2. c. 20. n. 69. Pirh. n. 33.*: In hoc tamen ultimo contradicunt *Caj. Ang. Tambur. n. 9.*, si enim non repeat, censetur condonare damnum subsequens, neque tempus videtur interpellare pro homine, nisi præcessenti conventio.

§ 67 §. 5. Si titulo periculi sortis, lucri cessantis aut damni emergentis, plus æquo petatur, non est propriè usura, cum non petatur ratione mutui, est tamen injuria & obligatio restituendi, *Mol. Leſſ. Pirh. n. 40.*

An ideo liceat aliquid exigere, quia certò prævidetur futura molestia & adhibendæ expensis pro recuperando mutuo, dicetur n. 945. in simili circa emptionem, potestque videri *Castrup. d. 4. p. 17. n. 3.*

§ 68 Q. 141. An ex aliis etiam titulis licitum sit aliquid accipere vel exigere supra sortem. R. Colligetur ex seqq. §. 1. Non ideo est licitum aliquid accipere,